

Etum est, ad intermissam diutissime Phi-
 losophiam, iam senior reuertens, omnem
 in ea curam ac studium posuit, vt ciuibus
 suis ocio prodesset, quibus antea negotio
 profuisset. Itaque libros innumerabiles,
 variis de rebus ædidi pulcherrimos, quos
 qui se vel legisse iactat vel vidisse, quàm
 id verè profiteatur ipse viderit. Mihi qui-
 dem vix vnquam peregrinatio longior
 suscepta est, vbi non incognitos Cicero-
 nis, ne dicam Libros, sed inaudita libro-
 rum nomina compererim. Philosophiam
 ad id tempus non nisi Græco cognitam
 sermone, primus omnium Latinis libris
 illustrauit: Poeticam non spreuit, sed pa-
 rum foeliciter tentauit. Testis est Seneca,
 eloquentia illum sua in carminibus de-
 stitutum, quod ipsum aliqua, nunc etiam
 ex opusculis eius indicant. Tanta autem
 bonarum artium sequities incessit, vt ma-
 gna pars librorum eius ætati nostræ pe-
 rierit, in librorum quidem M. Varronis
 interitu, quanquam nec illud sine nostri
 temporis infamia contigerit, tamen stili
 forsan incultoris asperitas, vicunque hu-
 iusmodi negligentiam excuset, sed in o-
 peribus Ciceronis vnde excusamur non
 intelligo. Ante omnes quidem desletus
 b. iij.